



Disputatio medica inauguralis de hydrope ascite

<https://hdl.handle.net/1874/347232>

19.

D I S P U T A T I O M E D I C A
I N A V G U R A L I S,
D E
H Y D R O P E A S C I T E.

Q U A M ,
D I V I N O F A V E N T E N U M I N E ,
Ex auctoritate Magnifici Rectoris,

D. H E R M A N N I v a n H A L E N ,

S. S. Theologiz Doctoris, ejusdemque Facultatis in Inclytâ Academiâ
Ultrajectinâ Professoris Ordinarii, Verbique Divini ibidem in
Ecclesiâ Praeconis ,

N E C N O N

*Amplissimi Senatus Academicci consensu , Nobilissimaque
Facultatis MEDICÆ Decreto ,*

P R O G R A D U D O C T O R A T U S ,
Summisque in MEDICINA honoribus & Privilegiis
rite , & legitimè consequendis ,

Eruditorum examini submittit

G E O R G I U S F L A M I N I U S , Scoto Britannus.
Ad diem Junij 22. 1689. horis locoque solitis.



T R A J E C T I ad R H E N U M ,

Ex Officinâ F R A N C I S C I H A L M A , Academiæ
Tpyographi, c i o I o c Lxxxix.

THESES I.



Uod si verum esset, aliquem res arduas aggressurum, voluisse sat esse; tunc mitiorem censuram mihi polliceri potuisse; sed cum doctorum & sapientum iudicia, non adeo agentis voluntatem, quam ipsa facta, eorumque perfectionem jure merito respiciant; ideo non solum est, quod seyeriorem crisi timeam; sed satis me eam mereri abunde conscius sum. Nam plurimae res (quamvis consulto ob varias rationes) prætermisæ, obiter pertractatae, & rudiore stylo, ob perspicuitatem exprefæ, expolita judicia, & delicatas aures certo certius offendent. Attamen, de quorundam benevolo affectu & favorabili interpretatione firmiter persuasus, de prolixa apologia non ero sollicitus: sed Ascitem ipsam humani generis hostem admodum crudelem & persæpe funestum aggrediar.

II. De nomine ergo quædam præmittenda videntur, nam à Græcis dicitur ὑδρωψ ἀστίτης. ὕδρωψ ab ὕδωρ aqua, quam quidam ab υἱο pluo deducunt, sed quia hæc vox latius patet, ideo per additionem partis, quam occupat restringitur: ut capit is, & tunc hydrocephalus nominatur; vel pectoris, & hydrops pectoris dicitur: vel quatenus totius corporis habitus afficiatur, & vocatur anaæcra vel leucophlegmatia: vel ultimo, cum abdomen sive infimus venter sit obsessus; & si plurimi flatus adsint, & venter pulsus sonum edat; aut ut alii sentiunt irregularis spirituum animalium influxus, quo partes præter modum tensæ maneant, adsit; tum Tympanitis denominatur: vel quando à materia aquosa & serosa turget & extenditur, ἀστίν vocatur, ab ἀστος, uter, quod à χω contineo & a epitatico præposito; ita ut infimus venter instar ἀστος, ab aquosa & serosa materia in se contenta, turget & extendatur. Etiam apud varias nationes varia sortitur nomina, quæ quidem omnibus speciebus communia, ut Anglis sit the Dropie, Belgis de Watersucht / & sic de cæteris: Latine nomine aquæ intercutis ut plurimum venit. Sed quia proposita brevitas, nec hydropem in genere, nec plures ejus species pertractare sinit, ideo hydrops ascites hujus dissertationis erit subiectum. Et quamvis quidam ascites cum hydrope pectoris confundant, tamen nostra tantum considerationis erit, quatenus infimum ventrem occupat, quæ præcipua est species; ita ut quicunque dicatur hydrope laborare, intelligatur semper ferè hoc nostro affectu affici. Itaque ut melius cognoscatur, qua de re sumus acturi, in compendio & pro fundamento descriptionem sequentem præmittam.

Hydrops

Hydrops ascites, est tumor infimi ventris ab humore aquoso & seroso, precipue ex vasis lymphaticis disruptis vel erosis, ut plurimum in ejus cavitate collecto & contento.

III. Per tumorem intelligimus indebitam alicujus rei secundum omnes dimensiones ampliationem & distensionem, qua vel ad usum, vel ad actiones rite peragendas inepta redditur. Præterea diximus esse tumorem infimi ventris, quo subjectum hujus indigitatur; per infimum ventrem, denotatur omne illud spatum, quod à parte superiore, daphragmate & cartilagine ensiformi, à lateribus costis inferioribus; posterius & inferius, lumborum vertebris, ossibus pubis, sacro & coxendicis circumscribitur. Cui Anatomici plerique scroti considerationem adjiciunt. Et quamvis multa dici possint de ejus varia divisione & partibus tam continentibus quam contentis; tamen proposita brevitas hæc omnia eo modo & ordine quemadmodum deberent considerari non permittit, ideoque plurima prætermittam, & tanquam nota supponam. Attamen scire velim infimum ventrem omnium generum vasa habere, nempe arterias, quæ sanguinem versus omnes partes deferunt, & venas, quæ sanguinem residuum, ad ulteriorem elaborationem, à partibus & visceribus ad centrum sive cor reducunt: Ut & nervos, qui spiritus animales motui & actionibus obeundis inservientes, versus omnes partes & viscera vehunt. Nec non vasa lymphatica, quæ lympham à sanguine per glandulas separatam, à peripheria sive partibus exterioribus & magis remotis, ad interiora, præcipue ad saccum chyliferum reducunt: & licet hæc vasa nuperius sint detecta & inventa, tamen ad nostrum institutum magis facientia, eorum delineationem hic breviter exhibere non à scopo prorsus alienum esse duxi, quia distincta eorum idea ad clariorem ascitæ cognitionem maxime conduit, uti ex sequentibus clarius patebit: uti etiam ex eo, quod veteres ex eorum ignoratione tot hæsitationibus, difficultatibus & erroribus fuerint intricati. Itaque vasa lymphatica sunt corpora cava, exilia, tenuia & pellucida, humorem tenuem & lymphidum à partibus exterioribus ad interiores præcipue saccum chyliferum deferentia. Hæc vasa originem suam sumunt, à plurimis glandulis nunc magis nunc minus conspicuis, & hinc inde diversis in locis sitis; prout curiosa & diligens Anatomicorum observatio, ipsa & vnde, & recta ratio abunde evincunt. Cum rectæ rationis mentionem facio, hanc eam ob causam addo, quia quamvis multa quæ ex hepate, liene, mesenterio, &c. clare tam in origine quam in continuatione & exitu conspiciantur; tamen multa imo innumerabilia ab omnibus visceribus & corporis partibus, esse cogitanda sunt, quæ, licet propter eorum exilitatem & tenuitatem, ut & glandularum tam exiguum mollem, visum nostrum plane & penitus fugiant; attamen propter sensus nostros hebetiores non sunt neganda: quia lymphæ separatio & reductio ubique est

æque necessaria; ut etiam ex eo, quoniam in extremis partibus, cuticula tan-
tum leviter abrasa, & vasis sanguineis occlusis, magnam seri aut lymphæ co-
piam postea diu extillare sæpe deprehendimus. Sed ut brevis sim, ulterius
tantum observari velim hæc vasa gaudere quamplurimis valvulis duplicatis, in-
vicem superpositis, lymphæ transitum ad interiora concedentibus, sed regres-
sum impeditibus, quemadmodum accuratiores Anatomici detexerunt &
demonstrarunt, ad quos lectorem remitto, qui plura de his scire desiderat.
Præterea in infimo ventre dantur etiam vasa lactea, quæ chylum ex intestinis
ad saccum chyliferum deferunt, & quæ etiam variis valvulis sunt prædicta, quæ
liberum chyli cursum & transitum permittunt, sed ejus regressui obstante. De
cæteris particularibus cuiusvis visceris, aut partis membranis & vasis verba fa-
cere, foret nimis prolixum; ideo investigationi causarum me accingam.

IV. Pro causa ergo materiali uti vocant, in definitione substitui humorem
ferosum, aquosum & lympidum, qui partes secundum omnes dimensiones
plurimum extendit, & quia apud omnes in confessu est, non diutius huic in-
hærebo. Sed quænam sit causa ejus efficiens altius disquiram. Itaque opinioni
veterum non possum assentiri, qui, circulationem sanguinis, ut & chyli &
lymphæ motum & cursum, & alia multa quæconomiam animalem spectant,
cum ignorarint, Hepar pro sanguificationis officina unanimi fere consensu agno-
verunt & constituerunt: atque hinc hepar variis diversimodè culparunt. Qui-
dam ejus sanguificationem lædi existimantes, & sanguinem sive potius humo-
rem aquosum & ferosum ibi generari, unde sanguis ita vitiatus, per venæ
cavæ ramos distributus, totum corpus; vel uti in ascite infimum ventrem,
tumidum & quasi fero affusum & repletum redderet. Alii fungosam materiam
hepati adnascentem & serum extillantem excogitarunt; Alii nescio quas rimas
in hepatis substantia fingentes, unde serum in abdominis cavitatem depleretur.
Nonnulli alios excogitarunt modos, ut dilacerationem vel erosionem mem-
branæ hepar investientis, aut particularem ejus, substantiæ mollioris, lobum
tenuiori membrana investitum, & plures à vena cava & porta ramos accipien-
tem; unde major seri copia in eo, quam in aliis hepatis partibus sive lobis coa-
cervari & colligi possit, atque lobo isto ex mollitie & membranæ tenuitate
facilius pertuso, humor iste aqueus in abdominis cavitate copiose deponere-
tur. Sed hisce tenebris quidam non contenti cum Hippocrate loca *nereāva*, sive
loca inania, quæ extremis thoracis costis subjacent, ubi facultatem lienis attrac-
ticem & alia hujusmodi farinæ bene multa culpantes, cæteris ascitæ causis
adjecerunt & inter præcipuas numerarunt. Sed hisce, à pluribus explosis &
rejectis, missis; nunc causas quas puto veras assignabo.

V. Causa ergo immediate efficiens (ut dixi supra) est præcipue vasorum
lymphæ

lymphyticorum ruptio vel corrosio. Nam quamvis quidam medici, nunc temporis admodum docti & celeberrimi, & in praxi felicissimi, massam sanguinem depauperatam & in sua mixtione varie vitiatam, pro causa ascitæ proxima & immediata substituant; tamen salva eorum autoritate, & si animi sensum aperire liceat, iis calculum adjicere non possum: quia quamvis sanguinis massa & mixtura sit depauperata & depravata, tamen quamdiu in vasis continetur, & partes serosæ & lymphidæ non separantur, & in infimo ventre sive in ejus membranis aut cavitate non deponuntur, vera ascites non producitur. Nam vel deberent arterias vel venas quovis modo ruptas vel corrosas culpare, quod non verosimile; quia sic materia magis sanguine esset referta, cujus tamen contrarium experientia abunde evincit: vel arteriarum & venarum intercapacities essent culpandæ; quatenus arterias sanguis pertransiens, & per earum extremitates in fibras carneas egrediens, antequam venas intraret illam materiam serosam & aquosam deponeret; sed hæc non prorsus satisfaciunt. Nam adhuc restat, quomodo hi humores separarentur, & quomodo separati in variis abdominis membranis, aut ejus cavitate deponerentur. Itaque dicendum potius puto, sanguinem tali modo affectum, plurimum disponere, & huic affectui producendo præcipuum occasionem præbere, quemadmodum ex sequentibus clarius patebit. Ut ergo à quo digressus sum redeam, hic ostendere incumbit quomodo hac vasa, sive per ruptionem, sive per corrosionem, hunc morbum maxime miserabilem efficiant. Itaque lympha, sive quantitate sive qualitate sive utrisque simul peccans, hic maxime attendenda. Quantitate peccat lympha, cum nimia copia ex sanguine per glandulas separatur, & versus interiora per vasa illa tenuia & exilia reducitur, sed angustæ viæ liberum transitum satis copiose non admittentes, & valvulae ejus regressum impidentes, adeo humorum collectioni contribuunt, ut illa tenuia vasa ultra modum, tantum; vel impleantur & distendantur; aut, si præter distensionem etiam rumpantur, & materiam in membranas vasa exterius & proxime investientes, tantum emitant; tunc illam ascitæ speciem, quæ nomine hydatidum venire solet, oriri puto. Sed præterea si ex nimia illa materiae collectione, vasorum distensione & ruptione, vasa erupta humores copiose aut in duplicaturam peritonæi, aut in ventris cavitatem, aut in ampliorem aliquem ejus locum immittant; tunc ascites magis ordinaria & vulgaris necessario producitur. Atque hinc innotescere potest quam inepte tantum acido vel salibus attribuantur omnia in corpore humano mala. Deinde etiam qualitate peccat lympha, quando sua stagnatione & acrimonia, illa tenellula vasa, corredit & exedit; & sic lymphæ in loca ante memorata exitum facit: à quo noster affectus originem trahit. Præterea (quod sæpius obtinet) utrisque simul peccat, cum nimia copia

accedit visciditas , unde viæ adeo obstructæ fiunt , ut liber transitus non detur , sed magna , in ea vasorum parte , copia colligatur , quæ etiam sua mora & stagnatione majorem acrimoniam contrahit ; quibus simul junctis , tam dilatando & valde distendendo ; quam corrodendo , hoc malum deplorandum efficitur . Denique in definitione dixi ascitem , præcipue à vasibus lymphaticis ruptis vel erosis ortum habere , & ideo hoc addidi ne considerationem vasorum lacteorum , ureterum apertione , vel alterius alicujus visceris aut infimi ventris partis vitium , ex quo materia aquæ & serosa in abdominis cavitate , colligi possit , prorsus excluderem : sed quia hæc rarius fieri existimo , aut si fierent , num affectus ab omnibus illis productus ad ascitem referri deberet , & eo insigniri nomine , valde dubitarem ; ideoque sufficiat hæc potius indigitasse quam per tractasse . Atque hisce de causa efficiente immediata traditis , proximo loco dicendum de is quæ nomine causarum procatarticularum apud autores veniunt , quamvis accurate loquendo potius nomine conditionum prærequisitarum insigniri deberent ; sed item de nomine non movebimus dummodo de re constet .

VI. Hæ ergo considerandæ essent , vel quatenus in corpore humano sunt , vel quatenus extrinsecus adveniunt . Quatenus in corpore sunt ; iterum considerandæ , vel in ipsis humoribus , vel in partium conformatioñe . Quoad partium conformatioñem ; considerari possunt , aut vasorum nimia angustia , compressio , obstructio , coaltio , &c. aut partium proxime adjacentium cuiusvis generis tumores , & mala figuratio . Humores quod attinet , illi spectari possunt in quantum vel in corpore manent & ordinariis functionibus peragendis inserviunt ; vel in quantum ex corpore excernuntur . Prioris generis præcipue sunt sanguis , spiritus , chylus , &c. Posterioris urina , sanguis menstruus & insensibilis transpiratio &c. sed quia hæc sigillatim percurrende & enucleare , latioris foret indaginis ; & etiam quia multa ex his , præcipue in sanguinem agunt , & ad considerationem sanguinis aliquo modo reduci possunt , ideo hæc , in quantum ejus constitutionem , texturam & mixturam mutant , pervertunt & perturbant , considerare tantum constitui .

VII. Sanguis itaque quamdiu bene constitutus , sicut sanitati conservandæ & aliis quamplurimis usibus inservit , ita quovis modo vitiatus , multorum morborum , sive mediate , sive immediate , est mater seu parens . Nam cum innumeris diversæ naturæ , figuræ , magnitudinis , situs , &c. constet particulis ; & corpori alendo & aliis usibus inserviat , ideo continua restauratione , & ut ejus crasis & naturalis mixtio , ad munia rite obeunda illæsa conserventur , quammaxime indiget . Et licet pro causa efficiente proxima , uti vocant , quia in effectum non influebat , non posse admitti contondebam , tamen ascitæ producendæ præcipuum occasionem præbere nunc ostendendum ,

I. Igitur

1. Igitur sanguinem sufficienti & debita restoratione orbatum, ad hunc morbum producendum plurimum disponere statuimus. Nam cum particulæ ejus spirituose, alimentosæ, & naturæ diversæ, tum partibus alendis, tum spirituum animalium generationi & aliis usibus inserviant; & exinde plurimum & quammaxime impendantur & consumantur; non potest fieri quin multum debilitetur & depauperetur; adeo ut chylum & alia de novo sibi commixta, debito modo secum assimilare & unire non valeat. Ex quo indies magis debilis & crudus factus, per paucos & impuros spiritus animales gignit; unde motus & requisita particularum inter se agitatio & commotio valde impediuntur & depravantur. Ita ut defectus spirituum & sanguinis torpor, mala constitutio & debilitas, in se invicem agentes, quasi junctis manibus & mutua opera, in ascite producenda conspirent & concurrant. Nimirum quatenus massa sanguinea sufficiente pabulo frustrata, paucos & impuros spiritus generat; quorum defectu ac vitio, & in motu, & in mixtione magis magisque languida, debilis ac torpida reddita, serositatem summam contrahit, quæ per arterias una cum sanguine versus partes, viscera, & præcipue glandulas delata, ibi secernitur & deponitur, & sic hujus deplorandi affectus productioni viam sternit.

2. Non solum deficiente pabulo sanguis huic malo viam sternere aptus natus est, sed etiam cum quamplurimis particulis heterogeneis oneratur, obruitur & quasi suffocatur. Et hoc fit. 1. ab evacuationibus ordinariis & solennibus præter consuetudinem & naturam nimis diu suppressis & inhibitis, quales sunt quæ per alvum excernuntur, (quamvis rarius ut puto culpanda) etiam mensum fluxus parcior, vel suppressius; hæmorrhoides fluere solitæ, & infensibilis transpiratio, inhibitæ; ut & quæ per os, & nares evacuantur: nec non urina, &c. Vel 2. ab ingestis sive quantitate sive qualitate peccantibus, quibus præcipue annumerandi sunt errores in cibo & potu, necnon medicamenta intempestive, indebite & perverse assumpta, utet alia quævis hujus generis, quæ sanguinis massam, particularum inter se unionem, fermentationem, &c. inficere, dissolvere, pervertere, aut obtundere, quovis modo valeant.

3. ab iis rebus quæ præter naturam in corpore gignuntur, in quo censu sunt tumores cancerosi, scirrhosi & aliorum generum; ut & ulcera inveterata, putrida & maligna, quæ sive compressione vasa obstruendo, aut sanguinis cursum fistendo; vel ejus massam, per particulas putridas & male dispositas, cum sanguine per venas; vel lympham, per ejus vasa; refluxas, inficiendo & pervertendo huic operi suppetias ferunt. Horum omnium particulares agendi modos separatim & in specie ostendere, fusoris esset disquisitionis; Ideo brevitatis causa contentus ero, hic tantum observare hæc omnia sive separatim, sive (ut plurimum fieri solet) plura conjunctim, sanguinem ita turbare, obruere

Sbruere & à naturali statu dejicere , ut plurimorum morborum immediata & primaria sit causa , à quibus morbis magis magisque debilitatus , obrutus & exhaustus , a suo vigore continuò declinat & dimovetur . Unde ab his aut supradictis , ad humorem aqueum & serosum generandum magis disponitur , quem in variis partibus deponit , & qui iterum præcipue à valvis lymphaticis absorptus , ascitæ efficiendæ anfam dat .

3. Sanguis non solum ex restaurationis defectu , & quod particulis heterogeneis obruatur , hic culpandi est ; Sed etiam quando ejus copia vis & efficacia nimis imminuit & enervatur . Cui classi accedunt . 1. nimia hæmorragia sive per nares , os , anum , hæmorrhoidas , vulnus aut phlebotomiam , aut alium quemvis locum & modum . 2. nimia seminis dispendia . 3. nimius menstruorum fluxus & aliae plures præterordinariæ & violentæ vel diu continua-tæ evacuationes , quæ sanguinis vim & energiam exhauiunt , valde deprimunt , aut ejus copiam debitam imminuunt , quibus ad munia sua rite obeunda plane ineptus redditur , ita ut continuò crudior & debilior factus , non ulterius valeat chylum & lympham secum associare & ad perfectionem perducere . Sed hisce cum sanguine mixtis & circulatis indies augmentum sumentibus & depravatis , tandem & quantitate & qualitate peccantibus , aliquando separatim , aliquando cum aliis vitiis concurrentibus & se mutuo adjuvantibus , causæ efficienti viam sternunt . Antequam hæc missa faciam adhuc obiter observari velim . 1. hæc omnia hucusque recensita quamvis in uno & eodem subjecto non semper concurrant , tamen uno aliquo peccante , alia temporis successu persæpe accedere & sibi invicem famulari : ut exempli gratia , evacuatione aliqua suppressa & inhibita , sanguis inficitur , & infectio sanguine , spiritus animales uti deberent non restaurantur , sed varie depravantur , quibus ita affectis & in se invicem agentibus , iterum tam in ipso sanguine quam in aliis rebus sanguinem inficere aptis , quamplurimæ enormitates se mutuo introducentes , succedunt . & sic de cæteris . 2. Observari velim , quod quemadmodum hæc ad ascitæ productionem maxime disponant , ita etiam ejus continuationi & pertinaci perseverationi plurimum contribuant , & quo plura peccent , in ea debellanda major occurrat difficultas . sed antequam ad curam accedam quædam sunt præmittenda .

VIII. Proximo loco ergo differentiis dicendum , quæ obiter quidem considerari possunt . 1. ratione materiae . Ut alia sit pituitosa & aquæa , alia acris , alia magis viscida . 2. ratione subjecti sive partis affectæ , & quamvis infimum ventrem in genere pro parte affecta substituerimus , tamen potest distingui , quatenus aliquando magis subsistit in duplicatura peritonæi , aliquando magis in abdominalis cavitate , ut etiam in quibusdam membranis yasa lymphatica exterius

exterius & proxime circumvestientibus, vel à distensione intercapitulum vasorum inter valvulas comprehensarum, unde vesiculas nomine hydatidum ut plurimum originem habere puto. Vel 3. pro invadendi modo, unde alia subitanea, alia paulatina. Aut 4. ratione causarum, quatenus à vasis ex nimia turgescencia disruptis, vel ab acrimonia corrosionis, vel denique ex vasis ita affectis in hac vel illa abdominis parte sitis. viz. ab utero, testibus, hepate, liene, renibus, peritonæo & similibus. 5. ratione durationis, ut aliquando sit recens, aliquando inveterata. Atque hæc de differentiis sufficient, quibus subjugenda diagnosis.

IX. Non admodum difficulter dignoscitur ascites; nam ventris tumor, aquarum fluctuatio, respirandi difficultas, urina pauca, modo turbida, modo crassa & rubicunda, & ut plurimum sitis intensa, aliarum partium extenuatio, faciei pallidus & lividus color, pedum, tibiarum, & scroti tumor, febris lenta, &c. eam ultro manifestant: & quamvis hæc omnia semper non adsint, tamen multa, præcipue cum aliquamdiu duraverit, sæpiissime concurrunt. Attamen in judicio ferendo, Medicus, qui ex conscientia patientis salutem & sanitatem pro scopo habet, caute admodum procedat, & diligenter caveat, ne gravidarum ventris intumescentiam cum ascite confundat, & ne fallatur, probe consideret calorem faciei, quæ in gravidis magis florida & vivida, quam in asciticis, ubi pallida est & disjecta: etiam oculi attendendi, qui in gravidis vivaciores, clariores & magis nitidi; in ascite laborantibus contraria ut plurimum observanda. Præterea tumoris natura attendenda, quæ in gravidis quam in ascitis inæqualior. Etiam de fætus in utero motu, ægra interroganda, ex quo non parum lucis potest affulgere: deinde ante omnia ad aquarum murmurationem & fluctuationem attendendum; & si adfuerit, ascitæ signum erit pathegnomicum. Etiam urina consideranda, tum ratione copiæ, quæ in asciticis sæpe minor, quam in gravidis; tum ratione aliorum accidentium, quæ è perito medico accurate inquirenda & perpendenda. Adhuc appetitus, constitutio corporis, & multa alia gravidis magis propria, (quæ consultò sileo) in considerationem venire possunt & debent. A Tympanite potest distingui, quod tumor, quemadmodum in tympanite non adeo subito excitetur, nec sit adeo fixus, renitens, constans, & pulsus, sonum instar tympani exhibens; quibus plurimi flatus & dolores circa dorsum & umbilicum accedunt, utet oculorum major fulgor. Atqui hæc de diagnosi succedit prognosis.

X. Ad morbi eventum rite cognoscendum, tota œconomia animalis magis vel minus læsa attendenda. Nam viribus constantibus, & visceribus bene constitutis, & si plus excernatur quam assumitur, & sitis non valde sit intensa, respiratio non admodum difficilis, obstructions ex materia vehementer visci-

da & tenaci non nimis pertinaces ; tunc aliqua curationis & ægrum sublevandi spes affulget. Quemadmodum hisce omnibus vel maxima ex parte deficientibus, miserum ægrum, in ultimo discriminé & pro desperato fere habendum relinquunt. Etiam restitutionis major aut minor facilitas & difficultas ex variis separatim vel quibusdam conjunctim consideratis potest innotescere ; ut si post frebrem ardenter vel alios mali moris morbos , aut medicamenta male & perverse exhibita & assumpta, superveniat, eo curatio difficilior & morbus periculosior : quia massa sanguinea depauperata, inquinata, effæta & languida facta, fomitem morbo continuo subministrat, & sic curæ obsistit, etiam ab Hipp. sect. vi. aphor. 35. observatur malum esse si tussis superveniat & sect. viii. Aph. 47. tussim pro pessimo signo habet; sed qualisunque tamen tussis non intelligenda, sed tussis violentior, quæ à maxima infimi ventris distensione & exinde diaphragmatis summa compressione & impedito motu ortum habet; cui sæpe accedit, humoris aquosí, sive transudatione sive ex vasorum lymphaticorum in thorace ruptione, in pectore collectio ; unde bronchia & alia respirationi inservientia maxime lœdantur, & sic tussis concitetur. Præterea urina pauca difficultatem arguit, quia serum sic evacuari solitum, in massa sanguinea detineri & alibi deponi denotat. Etiam quo inveteratior eo periculosior & curatu difficilior. Deinde quo urina est rubicundior, eo pejor; quia arguit sanguinis mixturam magis esse perturbatam. Multa alia, quæ ab authóribus & diligenti circumstantiarum consideratione deponi possunt, à prudenti medico perpendi possunt & debent. Et pro præsenti instituto hæc pauca annotasse sufficiat.

XI. Ad hunc humani generis hostem adeo atrocem & funestum debellandum, nunc me convertam ; quod ut felicius succedat, attendendum serio & quid agendum, & quibus mediis hoc commode fieri possit. Priori respondent indicationes, quæ pro diversitate symptomatum, morborum conjunctorum, & aliarum circumstantiarum, admodum variant, ita ut vix quidquam in genere & præcise determinari possit, sed à prudentis medici judicio ut plurimum pendeat. Attamen si quicquam dici possit, dicendum esse videtur, aquas esse evacuandas, vasa disrupta vel eroſa esse occludenda & consolidanda, utet vires conservandas, corroborandas & restaurandas. Sed quando & quomodo hoc vel illud agendum, judicio & prudentiaz Medici committendum puto; qua in re ipsius peritia vel imperitia maxime discerni possunt : Nam in legitima & conveniente indicatione facienda, quam in remediorum ad hanc vel illam indicationem satisfaciendam administratione, sæpius erratur. Ideoque Medici est, ut quid faciendum cognoscat, hæc omnia diligenter perpendere. & etiam rationem habere non solum causæ immediate efficientis, sed etiam prædisposi-

dispositionum, materiæ diversimode peccantis, & innumerabilium aliarum rerum, quas hic particulatim recensere proposita brevitas non permittit.

XII. Arma sive media subministrant Chyrurgia & pharmacia. Ex Chyrurgia præcipue paracentesis occurrit, quæ quamvis tuto & feliciter aliquando adhiberi possit, tamen quia odiosa & non raro periculi plena, nonnisi summa cum cautela instituenda, & si materia quibusdam vesiculis inclusa fuerit, parum aut nihil proderit; sed cum in peritonæi duplicatura hæret materia, tunc mature & quamprimum adhibenda, modo vires constent, & præmissa leni purgatione & corroborantibus exhibitis, usquedum cura perficiatur. Etiam materia in abdominis cavitate fluctuante, & aliis remediis frustra adhibitis, administrari possit; sed solum in iis instituatur, qui valdiores & robusti sunt, & qui viscera habent illæsa, & aquæ non simul & semel, sed successive & parca manu subinde educendæ, ne vires nimis dejiciantur. Sed aqua debita in quantitate pro tempore extracta, vulnus semper claudendum, & corroborantia continuo exhibenda. De loco & modo paracentesin adhibendi nihil dicam, quoniam apud autores, ad quos lectorem remitto, hæc satis fuse & accurate descripta inveniri possunt. Ideo ad pharmaciam quæ remedia multo tutiora nobis suppeditat, proprio.

XIII. Ex pharmacia remedia omnibus indicationibus satisfacientia ad maximum copiose habemus, non tamen exinde medici, quod tam pauci sanitati restituuntur, semper aut solum culpandi, nam hoc ipsorum ægrorum, utet aliorum culpâ sæpiissime fit, cum vel nimis ferò Medici opem implorent; vel ex paupertate, nimia parsimonia, aut præjudicio aliquo perverso, curam differant & medicamenta idonea aversentur, usquedum malum immedicabile reddatur, &c. Non tamen Medici, quibus ægrorum curæ eorum commissorum, salus & sanitas cordi non est, semper & penitus excusandi, qui, sive ex negligencia, omnia perpendenda non ritè & seriò considerant; sive ex imperitia, huic vel illi indicationi pertinaciter nimis insistunt, & omnem curam in aquarum evacuatione constituentes, medicamenta nimis fortia vel non convenientia exhibendo, malum exasperant, vires dejiciunt & ægrum extra omnem curationis spem constituant. Ideo hisce & similibus malis quantum freri possit obviare eundum & occurrentum, & præcipue Medicus quod officii est, ex conscientia faciat. Nam quamvis sit affectus consensu omnium curatu admodum difficilis, tamen omnia tentanda & caute & cum prudentia adhibenda media. Sed quia simplicium huic affectui appropriatorum farrago apud autores satis fuse traditur, ideo pauca tantum feligam initium à purgantibus faciendo. De quorum usu hæc cautela semper observanda, ut medicus diligenter inquirat, num æger facile aut difficulter purgetur, & sic dosis pro re nata augenda & mi-

nuenda; nam medicamenta in eadem quantitate unicuique promiscue exhibere, summo periculo non vacat; ideo formulas cum quadam latitudine præscriben-das puto. Ut Succ. Ireos nostr. depur. ab 3vj. ad 3ij. vel 3ij. vel seorsim vel cum aliis idoneis ad aq. educendas valde commendatur. Quemadmodum & Ebul. & Sambuc. succ. expreſſ ab 3j. ad 3ij. cum nuc. moschat. Vel eorum ſem. ſicc. a 3ij. ad 3j. nec minus Elater. laudatur. a gr. ij. ad iv. aut v. vel per ſe vel cum aliis, etiam ejus Extract. commode uſurpari potest. de Gra-tiola. Soldanel. Esul. & ſimilibus simplicioribus non ulterius iſiſtam; ſed formulam unam aut alteram ex more proponam. Ut, Rx. Jalap. pulv. a 3j. ad 3j. myrr. elect a gr. xiv. ad 3j. gumm. Gott. a gr. iv. ad viii. ol. anis. à gut. ij. ad iv. vel Rx. Spec. diaturb. cum Rheo, diaſenn. aa. gr. xv. ad xxiv. Merc. dulc. a gr. x. ad xv. vel 3j. Maſtich. elect. vel nitr. depurat. a 3ij. ad 3j. Vel Rx. Spec. diaturb. cum theo à gr. xv. ad 3j. Jalap. pulv. a 3j. ad 3ij. gumm. gott. gr. vi. fyr. de ſpina cervin. q. f. m. f. bolus. Multæ aliae ex Me-chocan. extract. Elater, Elect. hydragog. Sylvii & ſimilibus, componi poſſunt formulæ, ſi vel una vel cum precedentibus miſcerentur. Sed quia nec primò nec ſolum evacuantibus per alvum inhærendum, ideo contentus ero hæc potius attigife, quam pertractaſſe; & eo magis, quoniam non raro conuenit huic vel illi evacuationi non nimis pertinaciter adhærere, ſed aliquando varia tum leniter diuretica, diaphoretica & cathartica inter ſe miſſere, ut quo natura vergat, Medicus melius ſciat; unde ei opem ferre & adjuvare melius poſſit: in quem finem diverſe exhiberi poſſunt formulæ. Ut Rx. Conserv. Absynt. Ment. crisp. ana 3j. fal. card. b. 3ij. diaſcord. 3ij. Mercur. dulc. gumm. gott. ana gr. xvi. Tart. vitriolat. Jalap. pulv. ana. 3j. ol. Junip. gr. xxx. Syr. conserv. helen. q. f. m. fiat Electuarium, de quo qua-nitas nucis Moschat. majoris ſemel vel bis de die pro modo operationis ſumi po-tet, vel vinum medicatum poſſet præscribi ut Rx. lign. ſaffap. 3j. rad. helen. 3ij. rad. ireos 3j. herb. ment. crisp. eupator. cannab. ana mj. cort. median. ſambuc. 3ij. ſumitat. absynt. mj. bacc. junip. 3v. ſem. urtic. Rom. 3ij. aloes lucid. 3iv. concif. & contuf. d. pro nodulo; pro vin. ff. iv. de quo mane 3v. ad vii. ſumend. quod prout magis vel minus operatur, etiam aliis diei ho-tis poſſet iterari. Atque his aut ſimilibus ſub alia forma pro Medici ſcopo & placito exhibitis; attendendum eſt ſeriō, quo materia aut natura tendit, & ſive hoc fit per diuresin, diaphoresin, an per alvum, per hanc viam in poſte-rum præcipue eſt educenda, attamen cum hac ſemper cautela, ut virium ra-tio habeatur, & ut æger aliquod levamen à tali evacuatione ſentiat; quod fi-ſecus obtigerit, potius deſiſtendum, quam vehementer urgendum, ne malum au-geatur & exasperetur. Et alio modo iſiſtendum ſive per aliam evacua-tio-nem,

nem, sive per sola corroborantia & volatilia prout circumstantiae & symptoma exigunt. Ut si per alvum, sed sine levamine, hostem ejicere tentarem, postea ad diuretica me conferam, quibus etiam corroborantia pro rei exigentia addenda. Ut rx. ol. succin. 3j. Junip. 3j. sp. Sal. Armon. à 3j. ad 3ij. m. d. in phiola dos. gr. x. ad xv. semel aut saepius de die. Etiam pulv. Milleped. vel per se, vel cum aliis; aut in pulv. aut in forma pilul. Utet pulv. Bufon. à gr. viii. ad xiv. in vehiculo idoneo. Ita cineres Genist. Absynt. Sarment. vit. &c. 3v. vel 3vi. in tbij. vin. macerat. calid. & colat. clar. 3iv. ad vii. bis vel ter de die possunt exhiberi. Aut si cum corroborantibus sint exhibenda, talis formula non esset incommoda. Ut rx. Conserv. absynt. 3j. flaved. cort. aurant. 3vi. sal. absynt. 3i. j. chalyb. præpar. 3ij. oc. canc. 3iv. ol. Junip. 3j. fyr. helen. cond. q. s. m. f. conditum de quo quant. nuc. Moschat. bis vel ter de die sumenda, aut si magis per diaphorefin velis evacuare tunc Theriac. diascord. Fracast. sal card. bened. & similia possunt addi, & quædam quæ minus ad scopum faciunt omitti: & si magna acrimonia adsit, una cum debilitate & obstructionibus; tunc volatilia cum pertinacibus mixta, additis corrob. admodum convenienter. Ut Oc. canc. Antimon. diaph. corall. rubr. præparat. Chalyb. præpar. spiritus & ol. Sappaph. infus. Antiscorbut. ex vin. vel ex vin. & sp. vin. ana p. æq. sp. sal. Armon. ex quibus varia componi possunt formulæ, si sitis valde intensa rad. Glycrr. potest manducari, vel dari etiam potest decoct. Bacc. junip. in aq. pura, vel Milii cum Glycrr. add. sal. prunel. de quibus parce bibendum. Ratione febr. pulv. Card. bened. Tart. vitriolat. Rad. imperator. vel gentian. & simil. commode & cum successu poss. assumi, quibus pro varia intentione vel diuret. vel diaph. possunt addi. Si hysterica passio in mulieribus ex purgantibus fortioribus excitetur, ipsa anodyna & isti affectui appropriata sunt exhibenda & sic de aliis. Clysterum usus rarius est, sed quando administrandi ex lacte faccharato, aut urin. sani hominis cum Terebin. in vitel. ov. dissol. cui ol. aliquod pro lubito potest addi, vel etiam ex quibusd. herb. sive carminativis, sive aliis in aq. decoctis, quibus pro stimulo quædam cathartica possunt addi. Pro linimento. Unguent. Martiat. vel de Artanit. ol. lumbric. Phylosoph. scorpion. &c. satis convenienter; sed eorum rarius sit usus. Pro intumescientia tibiar. aut scrot. fomenta valde convenienter, ex herb. Malv. rut. Absynt. & flor. Chamomel. melilot. sambuc. sem. Cumin. fænic. cary. Bacc. junip. &c. Ultimò ut verbo moneam, diæta accuratissima observanda, & cibis euceptis tantum utatur æger; omnia viscida, humida, cruda, &c. quantum fieri possit vitanda, & siccioribus utendum; animalium carnes assæ elixis præferendæ; panis à furfuribus ne sit plane repurgatus, & carminativis & aperientibus quibusdam seminibus potest condiri; à multo potu quammaxime abstinendum;

& vino absynthite, lupulato, & alijs herbis condito, sitis potius fallenda, quam satisfacienda; uti & aliis supra memoratis; aër eligatur putus, & ad siccitatem inclinans; somnus sit solito brevior, attamen ad vires conservandas vigiliæ non nimis protrahendæ; leve & moderatum corporis exercitium, habita ratione virium, & aliarum circumstantiarum, utiliter institui possit & debet. Atque sic pro more quamvis non pro merito hæc dicta sufficient.

A N N E X A.

1. **M**ale à quibusdam statuitur lympham præcipue generari ex succo nerveo in glandulas per nervos delato & deposito;

2. Nec assentior opinioni illorum, qui ascitem originem habere putant; ex eo, quod materia serosa, per omentum à ventriculo, versus renes, recto cursu (secundum illos) deferri solita, in abdominis cavitatem immiteretur.

3. Non solum puto aërem, plurimis diversæ naturæ particulis scatentem, sola per os & nares inspiratione, & cum sanguine in pulmonibus communicatione, corpus nostrum afficere posse: sed etiam quatenus poros cutis, cum aliis effluviis continuo redeuntibus, se insinuat, & cum sanguine aliisque humoribus miscetur.

4. Non improbabiliter statuuntur spiritus animales in substantia corticali cerebri generari.

5. Hysterica passio non fit ab ascensu uteri ad fauces vel alias partes longe infra fauces sitas; sed ab inordinato motu & influxu spirituum animalium, à quo varia symptomata ei continentia facillime possunt deduci.

F I N I S.



